

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4839

Auteur(s) : Hamon le Harenguier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Robert Coepel [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, septembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Hamon le Harenguier et Julienne, sa femme, vendent à Robert Coepel trois boisseaux de blé et autres rentes, à Criquebeuf-sur-Seine.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CLXIII, p. 167-168.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, presentes et futuri, quod ego Hamon le Harenguier et ego Juliana, uxor ejus, filia Galteri dicti Mustel, de Ponte Arche, vendidimus et concessimus et omnino dereliquimus Roberto Coepel, filio Willelmi Coepel, tres boessellos bladi et unum caponem et septem denarios turonensium et obolum annui redditus, qui nobis reddebantr annuatim de Maria la Tiniere, et de Rogero Gouion, de masura et terra cultibili sita in parrochia de Criqueboto super Secanam ; percipiendos annuatim dicto Roberto et heredibus suis, videlicet tres boessellos bladi ad festum Sancti Michaelis, et ad Nathale Domini unum caponem, et ad Pascha Domini septem denarios et obolum et decem ova. Tenendos et habendos dicto Roberto et heredibus suis, libere, pacifice et quiete, absque ulla reclamacione de cetero nostri vel heredum nostrorum. Et licebit eidem Roberto de dicto redditu, sicut de suo proprio, suam penitus facere voluntatem. Ego vero dictus Hamon, et ego dicta Juliana et heredes nostri dicto Roberto et heredibus suis prenominatum redditum contra omnes tenemur garantizare, vel alibi, si necesse fuerit, in propria hereditate nostra, valore ad valorem, excambiare. Et de..... venditione et concessione observanda, ego dicta Juliana juravi, spontanea voluntate mea, tactis sacrosantis evangeliis, quod ratione..... vel maritagii, vel hereditagii, in foro seculari vel civili, dictum Robertum, de cetero super hoc non molestabo. Pro hac autem venditione et concessione dictus Robertus dedit nobis pre manibus viginti et duos solidos turonensium in peccunia numerata. Et ut hoc ratum et stabile permaneat, hanc presentem cartam sigillorum nostrorum munimine confirmavimus.

Actum anno Domini M° CC° quadragesimo septimo, mense ...imbris.

Testibus hiis : Stephano Computatore ; Petro Gocelin ; Michaele Carnifice ; Germano Carnifice ; Galtero de Atrio.